

SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNATURA APOSTOLICA 17 novembre 2005 Prot. n. 37355/05 CA — *Prefetto* A. VALLINI — *Segretario* V. DE PAOLIS.

Publicato decreto quo Tribunal Ecclesiasticum Regionale Z die 3 m. Martii a. 2004 sententiam a Tribunali Ecclesiastico Regionali W die 20 m. Decembris a. 2003 latam confirmaverat, cl.mus partis conventae Patronus, D.nus Q, edendo exsecutivitatis decreto coram hac Signatura Apostolica vertente mense Novembri a. 2004 sese opposuit.

Die autem 22 m. Februarii a. 2005, re aequius examini subiecta atque notitiis acquisitis de impugnationibus adversus pronuntiationes iudiciales non pendentibus, H.S.T. exsecutivitatis decretum edidit, quod dein partibus notificavit.

Tribus scripturis a cl.mo partis conventae Patrono exhibitis, idest die 19 m. Aprilis a. 2005 “Prosecuzione dell’atto di opposizione al decreto di esecutività”, Kalendis Maiis e.a. “Ricorso per revoca del decreto di esecutività” atque die 8 m. Iunii proxime insequentis “Ricorso per annullamento del decreto di esecutività”, H.S.F. rem denuo attentius consideravit atque, cum cl.mo Patrono art. 123 Const. Apost. *Pastor bonus* praescriptum, invocavisset de more praescripsit.

Actis omnibus causae requisitis et acceptis, omnia casus elementa cordato examine hoc Supremum Forum rimatum est.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Viso art. 8, n. 2 Pactionis vigentis inter Sanctam Sedem et Rem Publicam Italicam, iuxta quem sententiae canonicae in ordine iuridico italico delibandae “siano munite del decreto di esecutività del superiore organo ecclesiastico di controllo” (AAS 77 [1985] 527);

Considerato quod pronuntiationum, immo causarum, examen ad edendum exsecutivitatis decretum ius processuale canonicum respicit.

Perpenso quod, duplici pronuntiatione pro nullitate matrimonii edita nullaue impugnatione coram quo de iure canonico porrecta atque sententia canonica facta exsecutiva, exsecutivitatis decretum — quod quasi attestatio seu testimonium habetur, ab H.S.T. ad normam can. 57, § 1 ferendum — absque ulla decisionum pro nullitate matrimonii impugnatione iudiciali directe impugnari nequit;

Perspecto quod H.S.T. interventus ex invigilandi munere, quo haec Signatura Apostolica gaudet (cf artt. 121 et 124, n. 1 Const. Ap. *Pastor bonus* necnon litterae circulares diei 14 m. Novembris a. 2004, prot. n. 33840/02 VT), ad liberam ac prudentem ipsius Supremi Tribunalis discretionem pertinet, servata semper abusus denuntiandi facultate;

Attento quod hoc Supremum Tribunal cognoscit de recursibus “adversus actus administrativos singulares sive a Dicasteriis Curiae Romanae latos sive ab ipsis probatos, quoties contendatur num actus impugnatus legem aliquam in decernendo vel in procedendo violaverit” (art. 123, n. 1 Const. Ap. *Pastor bonus*);

Praetermissis, proinde, omnibus animadversionibus in casu forte adnotandis;

in mentem revocata denique, ad omnes iuris effectus, gravi praescriptione canonica cl.mis Advocatis imposita, ne actorum exemplar partibus tradatur (cf etiam art. 235, § 2 Instructionis *Dignitatis connubii*);

Re sedulo examini subiecta, in Congressu coram infrascripto Praefecto die 17 m. Novembris a. 2005 habito,

decrevit:

1. Recursum diei 8 m. Iunii a. 2005, quo cl.mus Adv. Q, invocato art. 123 Const. Ap. *Pastor bonus* praescripto, executivitatis decretum die 22 m. Februarii a. 2005 latum impugnavit, proponi non posse;

2. Quoad reliquas oppositiones ab eodem cl.mo Patrono propositas, provisum in primum;

3. Et amplius non proponi.

Summa a Recurrente apud arcam Signaturae Apostolicae deposita restituatur, demptis Euro 350,00 pro expensis huius Supremi Tribunalis.

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 17 m. Novembris a. 2005.

+ Augustinus Vallini, *Praefectus*

+ Velasius De Paolis, c.s., *Secretarius*